

## PSALMI LXX. DISPOSITIO.

## Confusio inimicorum.

**O** Ratio hæc Davidis pro celeri in periculis auxilio continet petitionem [1] pro sui ereptione festinaque opitulatio-  
ne: v. 2. [2] Hostium confusione: ubi tum hostes; *querentes animam meam, exoptantes infortunium meum*; v. 3. *dicentes: hea, hea!* v. 4. tum hostium pernicies; *erubescant, confundantur, retro agantur, ignominia affician-*

*tur*: v. 3. *pudescant abigantur*: v. 4. [3] Piorum erectione: ubi tum pii; *omnes querentes te: amantes salutem tuam*: tum piorum status; *in te latentur, gaudeant, Deum jugiter exaltem*: v. 5. [4] Sui ipsius salvatione: ubi [a] orans describitur tanquam miser & inops: [b] petitum: *festina, ne tarderis*: [c] ratio; *auxilium & ereptor meus est*: v. 6.

## PSALMUS LXX.

## EXPLICATIO VERSUS I.

להוכיח *Ad commemorandum*: vide Psalm. XXXVIII, 1.

## EXPLICATIO VERSUS II.

להצילי *ad eripiendum me*: scilicet festina, ex membro altero, non enim opus est, cum *Vulgatō* novum plane verbum (*intende*) inferere.

רושה *festina*: ne scilicet diutius differendo auxilium miser ego deficiam penitus, hostesque arcem subsidiō destitutam expugnent. Eandem hanc phrasin habuimus Psalm. XXII, 20. XXXVIII, 23. XL, 14. De radice רוש *festinare*, confer etiam Job. II, 25. Insignem versiculi hujus commendationem ex Cassianō *collat. 10. cap. 10.* quod ad omnia opera tentationesque sit idoneus, vide apud Hildebr. *precib. p. 58.*

## EXPLICATIO VERSUS III.

ישו *erubescant*: conatu scilicet suō frustrati turpemque sibimetipsis ignominiam ac pœnas fabricati. Vide Psalm. VI, 11. XXV, 3. XXXI, 18. XXXV, 4. 26. XXXVII, 19. XL, 15. LXIX, 7. ubi eadem *Erubescendi* vox adhibita fuit.

ויחפוי & *latebras querant*: iratum videlicet vultum tuum sufferre non valentes. Eadem hæc verba eadem ferè serie jamjam usurpavit Psalter *Psalm. XL, 15. seq.* confer etiam Psalm. XXXIV, 6. XXXV, 4. 26.

## EXPLICATIO VERSUS IV.

ישבו *revertantur*: à suō scilicet proposito ac spe miserè dejecti. vide Psalm. VI, 11. IX, 18. LVI, 10. In textu alterō parallelō Psalm. XL, 16. usurpatur pro hōcce, ישמי *devassentur* vel *obstupescant*.

על עקב *propter* confusionem sui: de usu nominis hujus, in præpositionem quandoque degenerantis, latius dictum Psalm. XL, 16. ubi & reliqua, quæ sequuntur, verba jam expendimus. Ex hæc ipsâ vero repetitione conjicit *Muis*, hanc quasi communem precandi formulam fuisse, quoties vel David, vel alii, in discrimine constituerentur insigni.

## USUS PRACTICUS E VERSU II.

(1) *Si vis, homo, ut festinet Deus, festina ipsemet valedicere mundo, serîo que Deo soli te applicare, L. de procrastinationis periculō.*

(2) Accelerationem auxilii licet petere, sed non ex impatientiâ, diffidentiâ vel *δοκνησοφία*; verum humillimè Deo extremam exponendo penuriam, &c. Conf. Psalm. XXXI, 3. Joh. IV, 49.

(3) Ereptio & auxilium à Deo dependent in solidum.

## USUS E VERSU III.

(1) Quærere alterius vitam, vel eidem struere insidias, grande contra V. præc. scelus. Idem facit Satan, quærens, quem devoret 1. Pet. V, 8. Aliter planè Christus, quærens, quod perierat: Luc. XV, 4. XIX, 10. Matth. XVIII, 11.

(2) Desiderare alterius infortunium, vel delatari ejus ærumnis, itidem coram Deo iudice habetur pro homicidiō. Matth. V, 22. seq.

(3) Confusionem ignominiamque si refugis, cave à fraternō odiō. Erubescit autem jam ultro coram Deo per resipiscentiam sinceram, ne erubescendum tibi sit post ultionem justam.

## USUS E VERSU IV.

(1) Ingens in Conversione discrimen, dum aliqui à proposito suo malo reverti coguntur inviti, alii verò Spiritu S. tacti, ultro desertis vitiis revertuntur ad Deum. v. L. de conversione.

(2) Idem dicendum de Erubescentiâ ac pudore.

(3) Insultare afflicto per varia scommata ac sarcasmos, vitium verè satanicum. conf. Psalm. VII, 15. 16.

## USUS E VERSU V.

(1) Quærendus Deus, ut verè ipsum agnoscamus, ut ipsi reconciliemur, ut auxilium impetremus, &c. vid. C. I. præc.

(2) Dulcissimum in solo Deo gaudium: Phil. IV, 4. III, 1. 2. Cor. XIII, 11. Rom. XII, 12.

(3) Emanare hoc debet ex consideratis Dei beneficiis erga tantopere periclitantes & exhaustos alios: Psalm. XXX, 4. 5. XXXIV, 4. &c.

(4) Celebratio divinæ magnitudinis debet esse quotidiana: jugiter dicant. Col. III, 17. Eph. V, 20. Adeoque non tantum in prosperis sed & adversis, Deo discernenda laudes: Job. I, 21.

(5) Diligitur Dei Salus, quando Jesum Salvatorem omnibus præferimus aliis: Joh. XXI, 15. seqq.

## USUS E VERSU VI.

(1) Miseriam & indigentiam nostram quò plus agnoscamus, eò fervidiùs efficaciusque Deum invocamus.

(2) De festinatione dictum v. 2. Atque sic in eodem quò cœperunt, afflicti quoque desinunt: non cadet iterare eadem patientes.